

LAMENTATIONES

¹ *Prologus* Et factum est, postquam in captivitate redactus est Israël, et Jerusalem deserta est, sedit Jeremias propheta flens, et planxit lamentatione hac in Jerusalem: et amaro animo suspirans et ejulans, dixit: [*Aleph* Quomodo sedet sola civitas plena populo ! Facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo. ² *Beth* Plorans ploravit in nocte, et lacrimæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus; omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ei inimici. ³ *Ghimel* Migravit Judas propter afflictionem, et multitudinem servitutis; habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias. ⁴ *Daleth* Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes; virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine. ⁵ *He* Facti sunt hostes ejus in capite; inimici ejus locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus. Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis. ⁶ *Vau* Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus; facti sunt principes ejus velut arietes non inventes pascua, et abierunt absque fortitudine ante faciem subsequenti. ⁷ *Zain* Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ, et prævaricationis, omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a

diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, et non esset auxiliator: viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus. ⁸ *Heth* Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est; omnes qui glorificabant eam spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens conversa est retrorsum. ⁹ *Teth* Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui; deposita est vehementer, non habens consolatorem. Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. ¹⁰ *Jod* Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, quia vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam. ¹¹ *Caph* Omnis populus ejus gemens, et quærens panem; dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Vide, Domine, et considera quoniam facta sum vilis! ¹² *Lamed* O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus! quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus, in die iræ furoris sui. ¹³ *Mem* De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum; posuit me desolatam, tota die mœrore confectam. ¹⁴ *Nun* Vigilavit jugum iniquitatum mearum; in manu ejus convolutæ sunt, et impositæ collo meo. Infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu de qua non potero surgere. ¹⁵ *Samech* Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei; vocavit adversum me tempus ut contereret electos meos. Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda. ¹⁶ *Ain* Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia

longe factus est a me consolator, convertens animam meam. Facti sunt filii mei perdit, quoniam invaluit inimicus. ¹⁷ *Phe* Expandit Sion manus suas; non est qui consoletur eam. Mandavit Dominus adversum Jacob in circuitu ejus hostes ejus; facta est Jerusalem quasi polluta menstruis inter eos. ¹⁸ *Sade* Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi. Audite, obsecro, universi populi, et videte dolorem meum: virgines meæ et juvenes mei abierunt in captivitatem. ¹⁹ *Coph* Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me; sacerdotes mei et senes mei in urbe consumpti sunt, quia quæsierunt cibum sibi ut refocillarent animam suam. ²⁰ *Res* Vide, Domine, quoniam tribulor: conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interfecit gladius, et domi mors similis est. ²¹ *Sin* Audierunt quia ingemisco ego, et non est qui consoletur me; omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, et fient similes mei. ²² *Thau* Ingrediatur omne malum eorum coram te: et vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, et cor meum mœrens.]

2

¹ [*Aleph* Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion; projecit de cælo in terram inclytam Israëli, et non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui ! ² *Beth* Præcipitavit Dominus, nec pepercit omnia speciosa Jacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Juda,

et dejecit in terram; polluit regnum et principes ejus. ³ *Ghimel* Confregit in ira furoris sui omne cornu Israëli; avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici, et succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro. ⁴ *Daleth* Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis, et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion; effudit quasi ignem indignationem suam. ⁵ *He* Factus est Dominus velut inimicus, præcipitavit Israëli: præcipitavit omnia mœnia ejus, dissipavit munitiones ejus, et replevit in filia Juda humiliatum et humiliatam. ⁶ *Vau* Et dissipavit quasi hortum tentorium suum; demolitus est tabernaculum suum. Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum; et in opprobrium, et in indignationem furoris sui, regem et sacerdotem. ⁷ *Zain* Repulit Dominus altare suum; maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium ejus. Vocem dederunt in domo Domini sicut in die solemni. ⁸ *Heth* Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion; tetendit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione: luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est. ⁹ *Teth* Defixæ sunt in terra portæ ejus, perdidit et contrivit vectes ejus; regem ejus et principes ejus in gentibus: non est lex, et prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino. ¹⁰ *Jod* Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion; consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis: abjecerunt in terram capita sua virgines Jerusalem. ¹¹ *Caph* Defecerunt præ lacrimis oculi mei, conturbata sunt viscera mea; effusum est in terra jecur meum super contri-

tione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi. ¹² *Lamed* Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. ¹³ *Mem* Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, virgo, filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? ¹⁴ *Nun* Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta; nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent; viderunt autem tibi assumptiones falsas, et ejectiones. ¹⁵ *Samech* Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Hæccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ? ¹⁶ *Phe* Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus: en ista est dies quam exspectabamus; invenimus, vidimus. ¹⁷ *Ain* Fecit Dominus quæ cogitavit; complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit, et lætificavit super te inimicum, et exaltavit cornu hostium tuorum. ¹⁸ *Sade* Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: Deduc quasi torrentem lacrimas per diem et noctem; non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. ¹⁹ *Coph* Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum; effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. ²⁰ *Res* Vide,

Domine, et considera quem vindemiaveris ita. Ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos et propheta? ²¹ *Sin* Jacuerunt in terra foris puer et senex; virgines meæ et juvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui, percussisti, nec misertus es. ²² *Thau* Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent me de circuitu; et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, et relinqueretur: quos educavi et enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.]

3

¹ [*Aleph* Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. ² *Aleph* Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem. ³ *Aleph* Tantum in me vertit et convertit manum suam tota die. ⁴ *Beth* Vetustam fecit pellem meam et carnem meam; contrivit ossa mea. ⁵ *Beth* Ædificavit in gyro meo, et circumdedit me felle et labore. ⁶ *Beth* In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. ⁷ *Ghimel* Circumædificavit adversum me, ut non egrediar; aggravavit compedem meum. ⁸ *Ghimel* Sed et cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam. ⁹ *Ghimel* Conclusit vias meas lapidibus quadris; semitas meas subvertit. ¹⁰ *Daleth* Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis. ¹¹ *Daleth* Semitas meas subvertit, et confregit me; posuit me desolatam. ¹² *Daleth* Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam. ¹³ *He* Misit in renibus meis filias pharetræ suæ. ¹⁴ *He* Factus sum in derisum omni

populo meo, canticum eorum tota die. ¹⁵ *He* Replevit me amaritudinibus; inebriavit me absinthio. ¹⁶ *Vau* Et fregit ad numerum dentes meos; cibavit me cinere. ¹⁷ *Vau* Et repulsa est a pace anima mea; oblitus sum bonorum. ¹⁸ *Vau* Et dixi: Periit finis meus, et spes mea a Domino. ¹⁹ *Zain* Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii et fellis. ²⁰ *Zain* Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea. ²¹ *Zain* Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo. ²² *Heth* Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; quia non defecerunt miserationes ejus. ²³ *Heth* Novi diluculo, multa est fides tua. ²⁴ *Heth* Pars mea Dominus, dixit anima mea; propterea expectabo eum. ²⁵ *Teth* Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. ²⁶ *Teth* Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. ²⁷ *Teth* Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. ²⁸ *Jod* Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se. ²⁹ *Jod* Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. ³⁰ *Jod* Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis. ³¹ *Caph* Quia non repellat in sempiternum Dominus. ³² *Caph* Quia si abjecit, et miserebitur, secundum multitudinem miserationum suarum. ³³ *Caph* Non enim humiliavit ex corde suo et abjecit filios hominum. ³⁴ *Lamed* Ut conteret sub pedibus suis omnes vinctos terræ. ³⁵ *Lamed* Ut declinaret iudicium viri in conspectu vultus Altissimi. ³⁶ *Lamed* Ut perverteret hominem in iudicio suo; Dominus ignoravit. ³⁷ *Mem* Quis est iste qui dixit ut fieret, Domino non iubente? ³⁸ *Mem* Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona? ³⁹ *Mem* Quid

murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?
⁴⁰ *Nun* Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. ⁴¹ *Nun* Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos. ⁴² *Nun* Nos inique egimus, et ad iracundiam provocavimus; idcirco tu inexorabilis es. ⁴³ *Samech* Operuisti in furore, et percussisti nos; occidisti, nec pepercisti. ⁴⁴ *Samech* Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. ⁴⁵ *Samech* Eradicationem et abjectionem posuisti me in medio populorum. ⁴⁶ *Phe* Aperuerunt super nos os suum omnes inimici. ⁴⁷ *Phe* Formido et laqueus facta est nobis vaticinatio, et contritio. ⁴⁸ *Phe* Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei. ⁴⁹ *Ain* Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies. ⁵⁰ *Ain* Donec respiceret et videret Dominus de cælis. ⁵¹ *Ain* Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ. ⁵² *Sade* Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. ⁵³ *Sade* Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me. ⁵⁴ *Sade* Inundaverunt aquæ super caput meum; dixi: Perii. ⁵⁵ *Coph* Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo. ⁵⁶ *Coph* Vocem meam audisti; ne avertas aurem tuam a singultu meo et clamoribus. ⁵⁷ *Coph* Appropinquasti in die quando invocavi te; dixisti: Ne timeas. ⁵⁸ *Res* Judicasti, Domine, causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. ⁵⁹ *Res* Vidisti, Domine, iniquitatem illorum adversum me: judica iudicium meum. ⁶⁰ *Res* Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me. ⁶¹ *Sin* Audisti opprobrium eorum, Domine, omnes cogitationes eorum adversum me. ⁶² *Sin*

Labia insurgentium mihi, et meditationes eorum adversum me tota die. ⁶³ *Sin* Sessionem eorum et resurrectionem eorum vide; ego sum psalmus eorum. ⁶⁴ *Thau* Redes eis vicem, Domine, juxta opera manuum suarum. ⁶⁵ *Thau* Dabis eis scutum cordis, laborem tuum. ⁶⁶ *Thau* Persequeris in furore, et conteres eos sub cælis, Domine.]

4

¹ [*Aleph* Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus ! dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum ! ² *Beth* Filii Sion inclyti, et amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli ! ³ *Ghimel* Sed et lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto. ⁴ *Daleth* Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti; parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. ⁵ *He* Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. ⁶ *Vau* Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est in momento, et non ceperunt in ea manus. ⁷ *Zain* Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. ⁸ *Heth* Denigrata est super carbones facies eorum et non sunt cogniti in plateis; adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, et facta est quasi lignum. ⁹ *Teth* Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame, quoniam isti extabuērunt consumpti a sterilitate terræ. ¹⁰ *Jod* Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos; facti sunt cibus

earum in contritione filiæ populi mei. ¹¹ *Caph* Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: et succendit ignem in Sion, et devoravit fundamenta ejus. ¹² *Lamed* Non crediderunt reges terræ, et universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis et inimicus per portas Jerusalem. ¹³ *Mem* Propter peccata prophetarum ejus, et iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum. ¹⁴ *Nun* Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine; cumque non possent, tenuerunt lacinias suas. ¹⁵ *Samech* Recedite polluti, clamaverunt eis; recedite, abite, nolite tangere: jurgati quippe sunt, et commoti dixerunt inter gentes: Non addet ultra ut habitet in eis. ¹⁶ *Phe* Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos; facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. ¹⁷ *Ain* Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum; cum respiceremus attenti ad gentem quæ salvare non poterat. ¹⁸ *Sade* Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum; appropinquavit finis noster, completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. ¹⁹ *Coph* Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli; super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. ²⁰ *Res* Spiritus oris nostri, christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus. ²¹ *Sin* Gaude et lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Hus ! ad te quoque perveniet calix: inebriaberis, atque nudaberis. ²² *Thau* Completa est iniquitas tua, filia Sion: non addet ultra ut transmigret te.

Visitavit iniquitatem tuam, filia Edom; discooperuit peccata tua.]

5

¹ [Recordare, Domine, quid acciderit nobis; intuere et respice opprobrium nostrum. ² Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos. ³ Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. ⁴ Aquam nostram pecunia bibimus; ligna nostra pretio comparavimus. ⁵ Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies. ⁶ Ægypto dedimus manum et Assyriis, ut saturaremur pane. ⁷ Patres nostri peccaverunt, et non sunt: et nos iniquitates eorum portavimus. ⁸ Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. ⁹ In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto. ¹⁰ Pellis nostra quasi clibanus exusta est, a facie tempestatum famis. ¹¹ Mulieres in Sion humiliaverunt, et virgines in civitatibus Juda. ¹² Principes manu suspensi sunt; facies senum non erubuerunt. ¹³ Adolescentibus impudice abusi sunt, et pueri in ligno corruerunt. ¹⁴ Senes defecerunt de portis, juvenes de choro psallentium. ¹⁵ Defecit gaudium cordis nostri; versus est in luctum chorus noster. ¹⁶ Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus ! ¹⁷ Propterea mœstum factum est cor nostrum; ideo contenebrati sunt oculi nostri, ¹⁸ propter montem Sion quia disperii; vulpes ambulaverunt in eo. ¹⁹ Tu autem, Domine, in æternum permanebis, solium tuum in generationem et generationem. ²⁰ Quare in

perpetuum oblivisceris nostri, derelinques nos in longitudine dierum? ²¹ Converte nos, Domine, ad te, et convertemur; innova dies nostros, sicut a principio. ²² Sed projiciens repulisti nos: iratus es contra nos vehementer.]

Bibbia Vulgata Clementina na 1598
Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria
Migne edition 1880 in Latin

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 11 Nov 2022 from source files
dated 9 Oct 2020

7ca33455-379f-554d-a635-9009adb90c5